



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv  
Fvndavit, Libri III**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Dvaci, 1585**

Generalis Jgnatius denuo Catechistæ munere fungitur. Cap. XIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44004**

*Generalis Ignatius denuo Catechista munere  
fungitur. CAP. XIV.*

**P**ER eos dies nomen Societati dederat è Pontificia familia Petrus Codatius Laudensis, vir honoratus, & opulento sacerdotio præditus. Is, diuino prorsus instinctu, diuitijs & cõmodis omnibus propter Christum abdicatis, Marthæ munus in Societate sibi vltro depoposcit, & egregie præstitit; in alimèta Patrú (erat autem Vrbe tota notissimus, & apud principes gratiosus) eleemosynis vndiq. corrogandis. quæ res Ignatium & socios magna molestia liberauit; quippe quos in spiritualem proximorum salutem omni studio intentos, temporariæ curæ ad eam diem valde impedierant. Eiusdem Petri opera templum etiã proprium Societas nacta est sanctæ Mariæ à Strata, non satis amplum illud quidem, aut commodum, sed tamen in celeberrima Urbis regione, & ad Societatis functiones in primis idonea: cuius loco, dũ hæc scriberemus, Alexander Farnesius Cardinalis, Pauli I I I. Pontificis maximi nepos, ædem nomini IESV magnificentissimam regio sumptu exstruebat. Ei templo deinde adiũcta domus est, quam hoc tempore Patres incolunt, Philippi Archinti beneficio, Salassiorum Episcopi, qui tum Põtificis vices in diocesi Urbana gerebat, viri de Societate vniuersa in primis optime meriti. In eo igitur tẽplo Ignatius, professionis lege, sex & quadraginta diebus Christianæ catechesi operam dedit è loco superiore, magna & assidua non modo plebis, verumetiam præstantium virorum frequentia: prorsus, vt quidã ex optimatibus palam gloriarentur, beatosq. se ferrent,

rent,



rent, quòd nullam omnino ex Ignatij concionibus omisissent. Agèdi autem rationem sequebatur eiusmodi. Fidei præcepta & mysteria cognitu necessaria, primum ad vulgi captum explanabat, iterabatq. vbi opus esset, eadem sæpius: deinde opportunis digressionibus certos interim locos tractabat fusius, non tam ad ingenij vel doctrinæ ostentationem, quàm ad pietatem excitandam, populumq. permo- uendum accommodatos. idq. tam veris grauibsq. sententijs, tam ardenti vultu oculisque, vt diuini amoris ignem vndiq. spirare videretur, minime fucate eloquentiæ vir, nec in singulas voces numerosq. sollicitæ, sed ingenti animo, prout impetus tulerat, sua sensa prosequentis. Itaq. perorationem eius, nõ ineptus populi plausus, aut stultæ facundiæ commẽdatio sequebatur, sed alta suspiria gemitusque, & anteaactæ vitæ detestatio salutaris: vt vel defixis humi oculis tristes ac sibimet irati discederent: vel etiã illico sese ad sacerdotum pedes abijcerent confitendi causa tanto cum fletu atq. singultibus, vt linguã soluere, aut vocem in verba formare vix possent.

*Societas augetur, distribuuntur prouinciæ.*

CAP. XV.

**I**NTER hæc Societas maiorem in modũ crescere, sublatisq. Põtificis decreto cãcellis, quos initio idem Pontifex (vt dictum est) illi probandæ præfixerat, multi certatim ad militiã spiritualem Ignatio dare nomina. Cumq. noui ordinis fama, bonusque odor instituti operis manaret quotidie latius; Patres varijs orbis terræ locis vehementer expetebantur. Itaq.